209

118.

Mi dulcissime Arslan!

B.

Reverendus D. Sonnemans hunc ad te curavit deferri. Cui
dolet, quod hoc tempore non potuerim gratificari. Nolli enim
prius conclave à D. Stusone possideri; et posterius à me oc-
cupatum est. quod destinavi confectioni Lexici. ad quod opus
mihi opus est saepe multorum librorum inspectione. cui fini
eos in pulpitis ante oculos jacere convenit. quod in meo
Museo fieri non potuit. Adolescens interim domi meae fuit,
quem adduxit pater vir sanè egregius, humanus et facundus
et prudens. Apud D. Golium erit filius usque ad Majum. à
quo tempore in hospitium aliud concedet. Deus faxit, ut ii, qui
à pueritia se comparant ad dispensandum verbum Dei, aliquando Ec-
clesiae sint utiles, et in ea idem studium magis magisque excitent.
Vinum, quod R. Parens tuus misit, admodum gratum est pa-
lato nostro: idque in tempore accepimus. Inclusi his pretium
36½ florenos; quibus addo plurimam gratiarum actionem.
Quod de Sabbato moves, de eo breviter. Est in Decalogo lex naturae
sed subordinata Testamento et promissioni. Nec enim dicit
Decalogus, Qui fecerit illa, vivet in eis. sed, Ego sum Jehovah
Deus tuus. Attamen non alia sunt praecepta, quae qui facit vi-
vit in illis. Nam perfectio non est nisi testamentum obedientia
amandi Deum et proximum. Sed accedit praeceptum fidei, et
abnegandae justitiae propriae, propter peccata. Accedit etiam signum.
Quaeris, Quare igitur non aliae ceremoniae, quarum omnium idem
usus est, Decalogo includuntur? Ezechiel id docet. Post inobe-
dientiam Israelitarum rupturam levius jugum omnium ~~u~~ umbra-
rum addidit Deus, et dedit praecepta non bona. i.e. non tan-
tum voluntaria sacrificia approbavit, sed et pro peccatis et pro
reatu certas satisfactiones exegit.) In Exodo vide indes significari
rationem dati Sabbati, quia Deus 6. diebus &c. ut cogitaret homo,
unde deciderit, ut sanctificatore opus habeat. In Deuteronomio
quies, quae est in ἀργίᾳ, fit typus quietis ab operibus ser-
vitutis. Studia, in quibus versor, haec sunt. Lexicon condo.
Id tarde admodum procedit. Minuta, in quibus tamen pec-
care ~~non in~~ turpe est, plurimum me detinent. Postulat quisque
explicationem praecipue phraseologiae, et locorum nobilium, et
terminorum propheticorum. Quid facies? Labor tamen hic est.
Tota hieme nihil in eo egi; quia nimium frigus fuit. et ante
hiemem etiam: quia prius Epistola ad Hebraeos absolvenda
fuit. Quod mihi etiam lentum opus fuit. Interim absolvimus
Canticum. in quo tamen non omnia nova dictavi; sed
tantum certis in locis. Ideò accipies vetera et nova. ex
quibus intelliges, quid in veteribus mutatum sit. Etiam
conscripsi aliquid de Ecclesia et Babylone per inter-
rogationes et responsiones, ut et distinctior et clarior
esset tractatio. Ea nunc sub prelo est. Interim psalterium
cessat. Occasio hujus tractationis fuit libellus Germanicus
missus ab incerto loco missus: qui contendit, Romanam Eccle-
siam non esse Babylonem. Igitur putari à me opposui. ut

[margin:] ...solum exceptat in ...ribus p. 29. Epist. L.

[margin:] De renovatore

demonstrarem, quid sit Ecclesia, et quid Babylon; et quod illa Re
sit. Deerit mihi, te absente, qui particulatim recognosceret, et q
hic illic desideraretur, indicaret. Spero tamen, me nunc tande
aliquando clare locutum esse. Caeterum, ut vides, paulatim deduci-
mur ad propheticam considerationem. Deus ei rei dat occasiones.
Et spero, si fuerint, qui eum libellum intelligant, et quibus persua-
dere potero, rem se ita habere, extituros, qui amplius de ea
re scire volent. Sed hoc Deus novit. Nostrum est, verbum Dei
non celare in medio nostri. Et tempus est, ut evigilemus. Vi-
dentur enim mutationes magnae instare. Quod autem vellis de
disputationibus ordinariis instituendis, aut potius componendo
Systemate secundum meam methodum, vide annon nimium a me exig
Quanquam vellem mihi ei rei soli liberum esse. Hic abrumpo.
Honoratissimos parentes tuos et ego et mei cupiunt salv
krum. Deo te ex animo commendo. Lugduni d. 20. M
1658.

Tui amantissimus
J. Cocceius.

Elzevirius permutationem,
quam offers, approbat.
Monebo eum, ut mittat,
quae vis.
Uxor mea tam confidens est, ut audeat
postulare, ut sibi adhuc unum dolium
vini melioris notae quaeratur
et ante calidiores dies
mittatur. Vide, quid sit
amicis dare libertatem
postulandi, quid velint.

Ornatissimo et doctissi-
mo juveni D. Wilhel-
mo Anslario SS. litera-
rum studioso gravissi-
mo, amico meo di-
lectissimo.

Middelburgum.

Cum fasciculo.